



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;  
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ  
propositiones, & alia

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 5. Quodnam ponis diserimen inter virtutem Pœnitentiæ &  
Sacramentum Pœnitentiæ?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40817**

#### 4 TRACTATUS VI.

recipit ad essentiam Sacramenti: sicut patet in Pœnitentia & Matrimonio. In his enim materia Sacramenti sunt actus ejus qui ipsum recipit: ita in Pœnitentia se habent contritio, confessio & satisfactio: hinc est quod actus pœnitentis sunt omninò necessarii ad validitatem Sacramenti: uti deinceps explicabimus.

*Quæst. 5.* Quodnam ponis discrimen inter virtutem Pœnitentiæ & Sacramentum Pœnitentiæ?

*Resp.* In hoc Pœnitentiæ virtus & Sacramentum differunt, quòd Pœnitentiæ virtus sit actus internus voluntatis quo peccator odit & detestatur peccata à se commissa, cum firmo constantique proposito deserendi malam vitam Deoque pro præterita vita satisfaciendi; verùm Pœnitentia in quantum est Sacramentum, consistit in certis actibus exterioribus sensibusque subjectis, qui denotant id quod interiùs in animo peragitur, cum absolutione Sacerdotis, quo fit ut actus virtutis Pœnitentiæ, sint materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ, quod producit gratiam *ex opere operato*.

*Quæst. 6.* Pœnitentia, in quantum virtus cum desiderio Sacramenti Pœnitentiæ, est-ne sufficiens ad justificationem peccatoris?

*Resp.* Satis patet ex Concilio Tridentino, desiderium Sacramenti Pœnitentiæ sufficere ad justificationem peccatoris virtute meritorum Domini nostri Jesu-Christi, si sit conjunctum cum contritione perfecta, ita enim: *Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.*

Desiderium Sacramenti Pœnitentiæ potest

Conc. Trid.  
sess. 14. De  
Pœnitentia,  
cap. 4.